

J. M. J.

BREVES MEMORIÆ


HONORIFICÆ

DE


S. CAROLO MAGNO

IMPERATORE,

A SUMMO PONTIFICE S. LEONE TERTIO
CORONATO.



VELITRIS 1838





J. M. J.

Elogium S. Caroli M. ex Martyrologio Gallicano Andreæ Sausaij, Episcopi Tullensis, et Protonotarii Apostolici.

Eodem die 28. Januarii

Sancti Caroli Francorum Regis Christianissimi, et primi ex hac gente Imperatoris, cognomento Magni, ac revera Maximi, qui ab ineunte ætate corporis et animi heroicis dotibus ornatus, divinis obsequiis toto corde deditus, regalis potentiæ gladio, Evangelicæ propagationis studio, vitæque religiosæ exemplis, gentes barbaras plerasque, et in his maxime Saxones, Bohemos, Sclavones, Boios, Hunnos, Danosque ab Idolorum nefandis ritibus ad Christi veri Dei cultum salutarem convertit. Romanam Ecclesiam omnium Matrem a multiplici pressura vindicavit, ab hostibus liberavit, pristinum in decus et honorem restitutam magnis beneficiis cumulavit. Hæreses vero per Orbem Occidentalem exitiose grassantes plerasque extinxit, disciplinam resarciri Ecclesiasticam collapsam curavit: quæque primum marcescebat, egregie reflorere fecit pietatem, quam et sollicite excultam, longe lateque toto orbe provexit. Romam, voti causa, quater adiit, et religiosa Cœlitum vestigia summa cum veneratione exosculatus, toti posteritati singulare devotionis exemplum reliquit. S. Jacobi Apostoli sepulchrum, nefandis Infidelium spurcitiis offusum hodierno honori restituit, ejusque celebrem religione ædem a se vindicatam, pietatis affectu lustrans; vestem setis horrentem, majorem viæ partem, gestavit.

Beatorum res gestas per Paulum Diaconum conscri-

bi, easque publice statis diebus legi præcepit. Fastos Martyrum, Conciones Patrum colligi, omniumque, quibus imperabat, gentium res memoratu dignas ad Religionis cultum, in litteris mitti curavit.

Rem Divinam in Æde Sacrâ assiduè obivit, neque statas preces et Canonicas, seu diurnas, seu nocturnas, cum valuit, umquam neglexit. Sacris operantes magna religione attendit. Mysticam suppellectilem, vestem, vasa, omnemque templorum ornatum tam copiosum instruxit, ut neque Sacræ januæ tutelam gerentes voluerit profano cultu munus suum obire. Ecclesiastici cantus harmoniam, ipse artem canendi, psallendique apprime callens, ac praxis Sacræ peritus, ad usum, qui exoleverat, revocavit. Sex Apostolorum corpora (*), nempe Simonis et Judæ, Philippi, utriusque Jacobi, et Barnabæ, cum S. Bartholomei capite, innumerisque Sanctorum Martyrum lipsanis, ex pia præda collectis, Tolosam advexit, atque in S. Saturnini Basilica, sibi dilectissima, perpeti honore prosequenda collocavit.

Spolia hostium, præsertim Hunnorum, ad B. Petri Ædem ornandam Romam dono misit. Regibus Francorum tutelam Apostolicæ Sedis, Romanorumque Pontificum commisit. Ipse Pontificem Leonem a suis male multatum, punitis zelo Dei noxiis, dignitati restituit; ad se venientem summa cum veneratione excepit. Concilia varia, Summæ Sedis permissu, ad eliminanda falsa dogmata, et sententiam Catholicæ Ecclesiæ Romanæ (quam in omnibus a prima infantia ad ultimum vitæ punctum, constantissime retinuit, observavitque) asserendam coegit. Legibus æquissimis ac religiosissimis Regnum et Imperium munivit: ad augmentum Christianæ Religionis novem Sedes Episcopales in Germania excitavit, duas in Metropoles evexit. Basilicam Aquisgranensem Sanctissimæ Deiparæ magnificentissima structura ædificavit. Viginti septem Ecclesias principales construxit; alias multas fere vetustate collapsas instauravit.

In veste et victu modestiam plane Christianam, et

(*) *Scilicet: partem Corporum, per Synecdochen.*

temperantiam exhibuit. In mensa lectionem sacram, præsertim ex libris S. Augustini semper adhibuit: clementia in victos hostes incomparabili usus est, neminem enim illorum extra aciem umquam occidit: in conjuratione deprehensos levi multa castigavit. Saxoni toties rebellanti, toties perduelli, victoque aliam ferre legem non tulit, quam ut Christum, serio ejurata idolorum impietate, coleret. Tot rebus denique pie ac præclare gestis, obsequentissimus Ecclesiæ filius, magnanimus Religionis defensor, vere Christianissimus Rex, ter maximus Imperator, Fide studiosissime ampliata, statu Ecclesiæ religiose ordinato, egregie exornato; regno etiam suo magnifice dilatato, ac undique pacato Christiano orbe, anno Domini octingentesimo decimo quarto, regni sui quadragesimo octavo, imperii decimo quarto, ætatis vero suæ septuagesimo, decenni pœnitentia expleta, opibus in præcipuas Occidentis Ecclesias ad Divini cultus augmentum, *Mystarumque* fomentum religiosa regalique munificentia dispertitis, rebus Sacris munitus, ex laborioso mortalique Imperio ad tranquillum Regnum, immortalemque triumphum feliciter emigravit. Obque Fidei et operum magnitudinem uti Sanctorum consortio adsciscí in Cœlis promeruit, ita eodem honore, ob grandia ejus in Orbem Christianum beneficia consuevit a Fidelibus, haud renuente Ecclesia, celebrari.

Quem eo demum fore honore dignum, Divinæ gratiæ, et virtutis testimonia, dum adhuc in carne degeret, præsignarunt. Nam præter quam cœlites illi non semel, ut conscripto jam in suprema Sion municipi, apparuerunt; (maxime S. Salvius Martyr, cujus sacros artus condigno cultu convestivit; et S. Suibertus, quem in Beatorum album a Leone Pontifice referri curavit; imo Christus ipse Dominus, cum ipse die Paschæ Sacram Synaxim perciperet, in pueri elegantissimi, ac amantissimi forma sese ei dedit:) præter hæc, inquam, gratæ Deo mentis insignia, favoris etiam Divini non obscura indicia in Pium certe Principem sæpe sæpius patuerunt. Quorum illud illustre fuit, quod cum in primo tumultu Saxonico Eresburgum Saxonum arcem expugnasset, indeque ad Eimenstedam idolum evertendum properasset,

in maxima terræ siccitate, et aquationis inopia, ipso (ceu altero Mose) orante, repente largissimum flumen uberrimis undis exiliit, quo totus exercitus, jam triduum siti anhelans, recreatus vires recepit. Quin et absente eodem, cum Saxo occasionem aucupatus ad Oppidum Fristoriam castra posuisset, et B. Bonifacii Ædem summam conaretur flammis diruere, nulla id ope exequi potuit, cum duo Cœlites fulgenti cultu apparentes, terrorem hostibus ita incussissent, ut omnes fugam certatim capesserent.

Ejusmodi significationibus, tutela Numinis sæpius, quam sibi Caroli conatus virtusque complacerent, declaravit: quem certe hic cursus et exitus (abstersa egregie labe, quam in stadio tam longo potuit tot implexus rebus ex humana sorte contrahere) æterno dignum triumpho, et corona gloriæ, affatim propalarunt. Corpus ejus pridem ab Episcopis Germaniæ solemniter elevatum, Aquisgrani cælitibus delato ex more cultu observatur. Caput vero Osnaburgi in Provincia Coloniensi, cum Reliquiis aliquot Ss. Martyrum *Crispini*, *et Crispiniani*, honoratur.

EX P. GRAVESON.

Graveson T. 3. Historiæ Eccl. pag. 273. de eodem Carolo Magno inter alia ait. " *Mauros Italiam populantes repulit. Multos in Germania populos ad Fidem Christianam adduxit. Litteras in Galliis instauravit, fovit, amplificavit. Plures liberos, ex octo, quas duxit, uxoribus suscepit. Numquam tamen castitatem conjugalem introductione concubinarum (sicut falso scripserunt neoterici) fœdavit.* " Et idem pag. 274. " *De Sanctitate Caroli Magni Imperatoris multa habet Baronius ad annum Christi* 814. *Legendus est etiam Bollandus ad diem* 28 *Januarii, ubi agendo de publica S. Caroli Magni veneratione, Breviaria complurium Ecclesiarum a se visa testatur, in quibus* 5. *Kal. Februarii Carolus Imperator Officio novem vel trium lectionum colitur. Citat etiam Bollandus Wandelbertum, aliosque Martyrologos, apud quos eadem die nomen Caroli legitur, refertque ex Breviariis Mindensi, et Rotomagensi precationes eo quoque die recitari solitas* ". (*Editio Romana anni* 1717. *apud Gonzaga*).

EX P. JOANNE MABILLONIO.

Apud Mabillonium Annalib. Benedictin. lib. 33. ad an. Christi 845 in relatione Commentarii Christiani Drutmari in Matthæum inter alia legitur : „ Ibidem agit de „ sepulchro Christi Domini, et de erecto ibidem hospi- „ tali tempore Caroli Magni, concedente Rege Persarum „ Aarone : *Et modo*, inquit, *idem ipse locus hospitale „ dicitur Francorum , ubi tempore Caroli villas ha- „ buit , concedente illo Rege pro amore Caroli : mo- „ do solummodo de eleemosina Christianorum vivunt „ et ipsi Monachi , et advenientes.* " Ita ut a Sancta Civitate Jerusalem , et sepulchro Domini , usque ad sepulchrum in Hispania S. Jacobi Apostoli , cujus præcipuum cultum a S. Leone III. Romæ impetravit , pietas Christianissimi Caroli Magni eluceret.

Adnotatio. Ex multis Auctoribus etiam in hoc opusculo allatis , rejici debet quod de Carolo Magno non recte scripserunt , quorum aliqui bona fide , sed sine sufficiente discussione alios inscienter sunt secuti , qui malitiose , vel indocte , vel sine debita explicatione locuti sunt. *Si separaveris pretiosum a vili , quasi os meum eris. Jerem. v. 5. 19.*

✠

J. M. J.

Supplex Libellus ad Summum Pontificem directus pro cultu S. Caroli Magni, *lingua Italica; cum Rescripto, traductione, et adnotationibus Latinis.*

BEATISSIMO PADRE

Intus

Quasi nessuna causa fino ad ora di Culto immemorabile si è trattata presso la S. Congregazione de' Riti tanto abbondante di requisiti, quanto quella di S. Carlomagno, di cui già trovasi preparata la Informazione, ed il Sommario. Risulta da esso l'antichità del Culto publico Ecclesiastico secondo i Decreti di Urbano VIII. e ne parlano Bellarmino, i Bollandisti, Natale Alessandro, Baronio, Pagio, l'Autore della Cronaca grande del Belgio, Spondano, molti Breviarj, non pochi Martyrologj, Mireo, Butler, Graveson, Guyetto, Benedetto XIV. il P. Zaccaria, Frà Didaco Giuseppe di Cadice, Lambecio de Bibliotheca Vindoboniensi, Contelorio de canonizatione Ss. cap. 4. pag. 35. ec.

L'immagine poi di tal Santo vedesi ornata di Aureola nel Museo Sagro Vaticano fattavi porre da Benedetto XIV. benchè abbia l'antichità circa il Secolo Nono, secondo la Copia data in luce in Roma nel 1815 da Mons. Santelli.

L'Officio di S. Carlomagno si recita fra i molti altri luoghi in Aquisgrana ed in Colonia, e le Lezioni proprie di quest' officio sono ristampate in Roma nella Tipografia Marini nel 1837.

Nè valga al ritardo della proposizione della Causa

il dire che molti Scrittori denigrarono la riputazione di Carlomagno, mentre tali calunnie avanzate a carico di tanti altri Santi non furono, nè devono essere attese.

Neppure valga il dubitare che gl' Imperatori, ed i Re malamente potrebbero sentire la dichiarazione di simile Culto, mentre in Germania generalmente è riconosciuto per Santo, ed in Francia, trà gli altri Calendarj, in quello di Parigi, dicesi Santo; onde può con fondamento credersi, che gradirebbero una approvazione della Sede Apostolica, quale al dire di accreditati Autori si fu, ma forse è smarrita nelle passate vicende.

Quindi è che Fra Marco di Maria SSma Procuratore Generale dei Carmelitani Scalzi di Spagna e delle Indie supplica Vostra Beatitudine per la conferma del Culto che si è prestato, e si presta a S. Carlomagno a fine di riportarne poi l'approvazione dell'Officio, e Messa, avendo a tale effetto l' Oratore officiato il Sig. Cardinal Marco, per farne la relazione alla Congregazione Ordinaria de' Sagri Riti. Che ec.

Foris

ALLA SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE

PAPA GREGORIO XVI.

PER

LA CAUSA DI S. CARLO MAGNO

Die 28. Martii 1838.

Ex Audientia SSmi „ Nihil esse innovandum „

Andreas M. Frattini S. Fidei Prom. Coadjut.

Ita reperitur in Actis, et Regestis Secretariæ Congregationis Sacrorum Rituum sub die infrascripta. In fidem ec. Hac die 1. Junii 1838.

L. ✠ S.

J. G. Fatati S. R. C. Secretarius.

Traductio supplicis libelli antecedentis.

Intus

BEATISSIME PATER

Nulla ferme Causa Cultus immemorabilis hactenus pertractata fuit coram S. Rituum Congregatione tam abundans documentorum, quam illa S. Caroli Magni, cujus Positio cum Summario jam est parata. Ex eo resultat antiquitas Cultus publici Ecclesiastici juxta Decreta Urbani VIII et de eo loquuntur Bellarminus (1), Bollandiani (2), Natalis Alexander (3) Baronius (4), Pagius (5), Auctor magni Cronici Belgici (6), Spondanus (7), multa Breviaria (8), non pauca Martyrologia (9), Mireus, Butler (10), Graveson, (11) Guyettus, (12) Benedictus XIV (13), P. Zaccarias (14), Fr. Didacus Joseph a Gadibus (15), Lambecius de Bibliotheca Vindoboniensi (16), Contelorius (17) de Canonizatione SSrum. cap. 4 pag. 35 etc. (18).

Imago autem hujus Sancti videtur ornata aureola reposita jussu Benedicti XIV. in Museo Sacro Vaticano, quamquam ejus antiquitas sit a Sæculo circiter nono, juxta exemplar editum Romæ anno 1515, a R. D. Antonio Santelli.

Officium S. Caroli Magni recitatur inter multa alia loca Aquisgrani et Coloniæ, et Lectiones propriæ hujus Officii recusæ sunt Romæ in typographia Marini anno 1837.

Nec retardationi propositionis Causæ objici valeat, quod multi Scriptores obscuraverunt famam Caroli Magni, dum tales calumniæ, etiam tot aliis Sanctis imputatæ, et pro nihilo habitæ sunt, et haberi debent.

Nequidem objici valeat, utrum Imperatores et Reges ægre ferre possent, declarationem similis Cultus, dum in Germania generaliter ut Sanctus cognitus est, et in Gallia, inter cætera Calendaria, in illo Parisiorum Sanctus exprimitur, unde cum fundamento credi potest, ipsis adprobationem Sedis Apostolicæ acceptam fore, quæ, ut

graves ajunt Auctores, revera intercessit, sed forsitan transactis calamitatibus perdita fuit. (19).

Unde Fr. Marcus Mariæ SSmæ Procurator Generalis Carmelitarum Discalceatorum Hispaniæ, et Indiarum orat Vestram Beatitudinem pro confirmatione Cultus, quod exibitum fuit et exhibetur S. Carolo Magno, ut deinde possit obtinere adprobationem Officii et Missæ, et hac de causa Orator jam exoravit Emum ac Rmum D. Cardinalem Marcum pro relatione facienda S. Rituum Congregationi Ordinariæ.

Quare etc.

Rescriptum ut supra

Nihil esse innovandum.

ADNOTATIONES

(1) *Bellarminus* de Beatitudine et Cultu SSrum. lib.3. cap. 6. tom. 2. operum pag. 432. lit. D. edit. Venet. 1721, " Carolus Magnus tanquam Sanctus colitur Parisiis, et Aquisgrani, et ab omnibus historicis mirice laudatur."

(2) *PP. Bollandiani* in Vitis SSrum. de S. Carolo Magno die 28. Januarii inter alia ajunt. „ Joannem Chapeavillum tradere tom. 2. de Episcopis Leodien. Canonizationem S. Caroli factam fuisse *de voluntate et mandato Alexandri Papæ*, quia fortassis Alexander id dein recepto in gratiam Friderico anno 1177. ratum habuit ".

(3) *Natalis Alexander* Hist. Eccl. sæc. 9. et 10. cap. 7. art. 1. in fin. „ In pluribus Ecclesiis Galliarum publica veneratione ut Sanctus colitur (Carolus Magnus) V. kalen. Februarii. A Paschali, qui sub Friderico Imperatore Antipapa fuit, in album Sanctorum relatus est: cujus diploma de Caroli Magni Canonizatione cum legitimi Poutifices non resciderint, nec ejus cultum aboleverint, aut prohibuerint, res sic tacita permissione, sive tolerantia perseverat, ait Cardinalis Baronius ad ann. 814. In pluribus Ecclesiis die 28. Januarii colitur, Aquisgranensi, Mindensi, Osnaburgensi, Parisiensi, Rhemensi, Rotomagensi, Tornacensi, et aliis,

(4) *Baronius.* mox citatus a Natale Alexandro.

(5) *Pagius* in Baronium ad annum 1000 n.3 t.16. edit. Lucæ 1742. pag. 402. „ Carolum Magnum Divum habitum fuisse, templa illi dicata, et Officii Ecclesiastici impensam celebritatem, ostendit Bollandus ad diem 28 Januarii, et addit : „ Antea fortassis, et saltem post Canonizationem a Guidone Cremensi Antipapa, Paschale III. dicto, factam. Verum hic Ademari locus a Bollando non citatus dubium solvit, indicatque, nonnisi post illam Canonizationem Divinos honores Carolo Magno delatos, conniventibus nempe Summis Pontificibus. " Neppure inverosimile è che divulgata la fama de' suoi miracoli (ait Dissertatio a P. Zaccaria edita Romæ 1797) fosse egli da parecchi privati siccome Santo venerato ed invocato, idest ante Antipapæ tempus. Opinio aliquorum est, Carolum M. canonizatum jam fuisse a S. M. Paschale Secundo. (*Palatino in Aquila inter lilia de Carlo M.*)

(6) *Auctor magni Chronici Belgici* ad annum 1166 tom. 19. pag. 271. N. XXIII. ait. „ Ejus vero (nempe S. Caroli) dies festi celebres bis in anno habentur, dies scilicet ejus natalis IV. kal. Februarii Translationis vero dies VI.kaled. Augusti, quem utrumque Clerus et Populus spiritualium gaudiorum tripudio celebrant. Cantantur etiam in Ecclesia Aquensi de S. Carolo, vicibus alternatis suffragando, certæ antiphonæ cum collectis de quibus unam exhibet. etc.

(7) *Spondanus* de Paschali III. et de hac Canonizatione verba faciens, ait „ Sed quod is haud legitimus fuit Pontıfex, ejusmodi Canonizatio non est recepta ab Ecclesia Romana. Quod tamen reperiantur legitimi Pontifices eam non impugnasse, res sic tacita permissione, sive tolerantia perseveravit, ut in propria Ecclesia ubi sepultus fuit coleretur, Ita enim Canonum præcipui interpretas declararunt. Propagatus autem postea noscitur ei cultus in alias Ecclesias Galliæ, Belgii, atque Germaniæ, in quibus idem Carolus Sanctitatis titulo colitur : faventque scripta plurimorum rerum Francicarum historicorum.

(8) *Complura Breviaria* „ Vidimus certe complurium Ecclesiarum Breviaria in quibus 28 Januarii colitur S. Carolus Imperator vel novem Lectionum Officio, vel trium. Et in Ecclesia quidem Mindensi hæc recitatur publica eo die precatio „ *Deus qui superabbundanti fœcunditate bonitatis tuæ B. Karolum Magnum Imperatorem etc.* Par ei in antiquo Parisiensi Breviario, Rhemansi, Rotomagensi, Tornacensi, aliisque ei honos habetur etc. Officium S. Caroli Magni in Breviario Ecclesiæ Metropolitanæ Rotomagensis an. 1728. edito habet in lectionibus historicis de ejusdem cultu „ In Basilica SSmæ Virginis Aquisgrani, quam ædificaverat, sepultus est. Cujus natalem Aquisgranensis Ecclesia imprimis celebravit, quam Rhemensis, aliæque quamplurimæ, Summorum Pontificum assensu, secutæ sunt.

(9) *Plurima Martyrologia.* Extat in plurimis Martyrologiis consignatum Caroli nomen. Antiquissimum est quod a Rabano sub Lothario Caroli nepote compositum creditur . . . Burgens. MS. . . . MS. S. Lamberti Leodii. . . MS. imperialis Monasterii S. Maximi Treviris . . . Marty-

rologium Usuardi Parisiis excussum anno 1536 ... MS. Florianum ... Varia M. SS. Usuardi nomine insignita etc. (singulæ commemorationes ab istis Martyrologiis de S. Carolo factæ, quæ a Bollando fuse referuntur, hic brevitatis gratia prætermissæ sunt.)

(10) *Butler* de vitis SSrum. di 28. Januarii „ Decretum Canonizationis S. Caroli Magni, editum a Paschale Tertio Antipapa, vim legis acquisivit, cum nemo ex legitimis Pontificibus contra illum reclamaverit.

(11) *Graveson* tom. 3. Hist. Eccl. pag. 273, perhonorificam mentionem facit de S. Caroli Magni virtutibus, et cultu, sed cum ad Baronium, et Bollandum, ut supra pag. 6., se referat, ejus verba hic omittuntur: qui etiam adjungit, simulque Natalis Alexander, Neotericos falso scripsisse contra Caroli castitatem conjugalem.

(12) *Guyettus* de Festis propriis locorum lib. 1. cap. 5. quæst. 9, „ Tertium denique dubium, quod ad legitimam canonizationem attinet, vix plusquam in uno, aut altero exemplo locum habet; videlicet Caroli Magni Imperatoris, quem Paschalis quidem in Sanctorum numerum solemni ritu adscripsit; sed cum is legitimus non fuerit Pontifex; ejusmodi Canonizatio recepta non est ab Ecclesia Romana. Hanc tamen cum legitimi Pontifices haud impugnaverint, imo tacito consensu toleraverint, non est quod quis scrupulum moveat, si in propria Ecclesia Aquisgrani, ubi sepultus est, item et in plærisque aliis Galliæ, Belgii, atque Germaniæ Sanctitatis titulo colatur, id vindicantibus Hostiensi, Jo. Andrea, et aliis primariis Canonum interpretibus in cap. 1. de Reliquiis et venerat. Sanctorum.

(13) Benedictus XIV. in opere de Beatificatione et Canonizatione SSrum. lib. 1. cap. 9. inter alia ait. „ Quidquid sit de concessione facta ab illegitimo Pontifice, tot subsequentes Pontifices prædictam concessionem sciverunt, minime autem improbarunt, sed per tolerantiam admiserunt, quibus si addatur longissimi temporis observantia, nihil deesse videtur ex requisitis, quæ necessaria sunt pro validitate cultus, quoad Ecclesias particulares etc.

(14) *P. Zaccarias.* Anno 1797 impressæ sunt Romæ Dissertationes Francisci Antonii Zaccaria de Historia Eccle-

siastica, quarum tomo 22. in refutatione cujusdam Lutherani (qui tamen Sanctum fuisse Carolum non negabat) asseritur cultus legitimus S. Caroli Magni, cujus miracula a P. Joanne Bollando et aliis tradita *impudentissime* negari ab ipso Luthérano exprimitur.

(15) Servus Dei et celeber Missionarius Capuccinus nostri temporis in Hispania *P. Didacus Joseph a Gadibus* in Epistola de Milite Catholico in bello Religionis anno 1793 proponens militibus exempla S. Caroli Magni, in adnotatione ait: „ Sanctus Carolus Magnus habet cultum publicum Parisiis, et ejus Officium cum oratione et lectionibus propriis, approbatis a S. Congregatione, videtur in aliquibus Breviariis inter Sanctos ad libitum. "

(16) Lambecius in Commentariis de Bibliotheca Cæsarea Vindoboniensi lib. 2. cap. 5. §. 340 loquendo de Canonizatione S. Caroli Magni ab Antipapa Paschali facta, ait: „ Quam Canonizationem Papa Alexander Tertius anno 1177 appiobavit, et confirmavit „ (scilicet quando in suam gratiam Fridericum Imperatorem recepit).

(17) Contelorius (Felix) de Canonizatione SSrum. cap. 4. pag. 35. *Rota* in relatione S. Isidori de Sanctitate in genere vers. idem cultus, ubi etiam firmat solum Papam indicere posse festum in honorem non canonizatorum juxta gloss. magn. in cap. unic. de Reliq. et vener. SSrum. in 6. ubi Franc. n. 3. et quod ex lapsu triginta annorum præsumitur confirmatio Pontificia, si alicujus Sancti non canonizati festum longo tempore fuerit celebratum ex Jason. in leg. sciendum n. 16. et 17. ff. de verb. oblig. Alciat cons. 27. n. 89. lib. 4. decis. cons. 48, n. 9. *Gabr*. Consil. 82. n. 31. et seq. lib. 2. *Mohed*. decis. 2. de transact. Rota divers. decis. 179. n. 1. part. 2. Seraph. decis. 108. et 1142.

(18) N.I. Adde locum *Guafredi* Prioris Vosiensis, qui pag. 314. ait „ Aquisgrani solemnitas de eodem Cæsare Augusto Ortodoxo sicut de Sancto agitur etc. "

N. II. *Alii Scriptores* quoque Carolum in Divorum Fastis honorifice referunt *Ghinius*, *Miræus*, *Canisius*, *Felicius*, *Maurolycus*, et omnium fusissimo elogio Saussajus in Martyrologio Gallicano 28. Januarii: „ Eodem die S. Caroli Francorum Regis Christianissimi, et primi ex hac gente Imperatoris, cognomento Magni, ac revera Maxi-

mi, qui ex laborioso, mortalique Imperio, ad tranquillum Regnum, immortalemque Imperium feliciter emigravit. Obque fidei et operum magnitudinem uti Sanctorum consortio adsciscì in Coelis promeruit, ita honore . . . . consuevit a fidelibus haud renuente Ecclesia celebrari etc. Corpus ejus pridem ab Episcopis Germaniæ solemniter elevatum, Aquisgrani Coelitibus delato ex more cultu observatur. Caput vero Osnaburgi in Provincia Coloniensi cum Reliquiis SSrum. Martyrum Crispini et Crispiniani honoratur ".

N. III. *Castellinus* in suo Indiculo Sanctorum Canonizatorum dicit, Carolum Magnum a nonnullis canonizatum, ab aliis tantummodo beatificatum denominari.

N. IV. Accedunt complures Auctores, nempe *Molanus* in Natalibus Ss. Belgii, Petrus *Galesinius* et *Maurolicus* in suis Martyrologiis, *Ferrarius* in Catalogo SSrum. qui non sunt descripti in Martyrologio Romano, omnes ad diem 28. Januarii. *Bollandiani* ad eamdem diem. *Natalis Alexander* loco cit. (nempe in Hist. Eccles. sæc. 9, et 10. cap. 7. art. 1. in fin.) *Spondanus* ad ann. 814. n. 3. *Baillet* in Vita Caroli Magni ad d. *Franciscus Victor* in suo tractatu de Canonizatione SSrum cap. 27. *Ceparius* in suo Directorio MS. Canonizationum cap. 12. n. 2.

N. V. *P. Sigismundus Calles*, Franciscus Antonius Zaccaria mox citatus in Raccolta di Dissertazioni tom. 22. pag. 270. edit. Romæ 1797. Dissertazione 2. Epistolare „ Io la dirò con le eleganti parole del Dottissimo Padre Sigismondo Calles negli Annali Ecclesiastici della Germania tom. 3. lib. 1. n. 108. pag. 95. „ Sanctorum in numecum adscriptus est a Paschali Antipapa, qui honos tamen rut consequentium silentio Pontificum confirmatus, aut aultu publico in Basilica primum Aquisgranensi; tum vero in variis Galliæ, Germaniæque Ecclesiis multis a sæculis continuato, legitimus esse coepit,. Resta il culto di Carlo Magno. Il nostro Autore (Walchio) scorre primamente la Germania, e lo fa veder dilatato nella Westfalia, in Aquisgrana ristabilito da Carlo IV. del quale si reca un diploma: in Osnaburg, Colonia, nella Carniola, a Wirzburg. Non minor fu la venerazione che ne ebbero i Francesi, massimamente dappoichè Ludovico XI per te-

stimonianza di Roberto Gaguino scrittore contemporaneo comandò che si osservasse la festa di Carlo come di precetto senza lavorare sotto pena della vita. Dalla pietà dei Fiamminghi verso di Carlo testimonj ne sono oltre Giovanni Molano e Auberto Mireo, più Martyrologj dal Bollando citati. Avere Carlo pur nelle Spagne ossequio e culto, si ha da Pietro de Marca nella sua Marca Hispanica lib. 3. cap. 6. §. 11. In grandissimo culto fu ancora tra gli Svizzeri. L'Officio ch'era in uso a Zurico e divulgato fu primieramente nell' antica Lezione di Enrico Canisio, ed ora nuovamente dal nostro Autore con giunte tratte le più da un Breviario pur d Zurico del 1260, ne è una bella prova.

N. VI. *Feller* in Dictionario Historico loquendo de Carolo Magno inter alia ait :„ Adscriptus fuit in numerum SSrum. a Paschale III. Antipapa ann. 1165 vel 1166. Sed ipse fuit etiam Canonizatus a Reinoldo (*) Archiepiscopo Coloniensi, et ab Alexandro Episcopo Leodiensi ... Legitimi Pontifices constant tollerarunt cultom quam etiam nunc ipsi praestant Ecclesiae Aquisgranensis, Rhemensis, et Rotomagensis.

(19) P. Didacus Joseph a Gadibus, et Lambecius loc. cit. n. 15.

Insuper in Monasterio SSmae Trinitatis Montis Pincii Romae reperitur Imago S. Caroli Magni cum Aureola Sanctitatis, et cum titulo Sancti inter effigies caeterorum Regum Galliae in Claustro inferiore depictas.

(*) *P. Hermannus Crombrach S. I. in tom. 2. Historiæ S. Ursulæ et Undecim millium Virginum et Martyrum pagin.* 1124, *in serie Episcoporum Coloniensium, ait* : " *Anno Christi* 1165. , *et Alexandri III. ann.* 6.
„ *Reinoldus (Archiepiscopus Coloniensis) elevat ossa*
„ *Caroli Magni , Aquisgrani.* "

✠

J. M. J.

De bellica et Christiana virtute CAROLI MAGNI *in prælio juxta Cordubam, quam obtinuit a Saracenis: ex historia Archiepiscopi Rhemensis Joannis Turpini, Florentiæ edita anno* 1822 *pag.* 51. (1)

Erant omnes Saraceni insimul coadunati, et in medio illorum erat plaustrum, quod VIII. boves ducebant; super quod vexillum rubrum eorum elevabatur; mosque illorum erat, quod nemo de bello fugere audebat,

---

(1) *In hac editione transcribitur injuria aliquando facta S. M. Calixto II.*, *qui hoc factum inter alia accepit, et tradidit tanquam a V. Turpino scripta, quæ modernis criticis displicuerunt, et eorum atram bilem excitarunt ad verba relatu indigna contra tam Ven. Papam, quaeque hic refutare necesse non est, cum ipsa prohibita sint per regulas Indicis, et per ipsam Legem Dei. Videantur de Calixto II. Martyrologium Benedictino Hugonis Menardi, et Gallicanum Andreæ Saussaji Episcopi Tullensis* 19, *Januarii. Scripsit* (*juxta Palatium*) *uter alia de miraculis S. Jacobi Apostoli, et ejus corporis translatione: et de inventione Corporis Turpini Archiepiscopi et M.*

In versione Itala Vitiarum S. Butler extat adnotatio ad vitam S. Audomari 9. *Septembris in laudem Caroli M. de quo inter alia dicitur* „ *Odasi inoltre* „ *come parli alto di Carlo Magno il gran Bousset* „ *nel suo celebre* Sermone sull'unità della Chiesa *reci-* „ *tato all'Assemblea del* 1682. *e stampato per ordine* „ *di essa*: Carlo Magno fu saggio, modesto, guerriero,

quamdiu vexillum rubrum videbant erectum. Quod cum Carolus agnovisset, lorica, et galea et spatha invincibili septus, Divina virtute (1) obumbratus: ingressus est inter acies iniquorum, precipitando illos ad dexteram et ad laevam, quousque pervenit ad plaustrum. Tunc propria spata perticam, quae vexillum substentabat, abscidit; et statim omnes Saraceni huc illuc dispersi, fugere caeperunt. Illico facto utrorumque exercituum magno clamore et impetu, octo millia Saracenorum interfeciuntur, et rex Sibiliae occiditur, et Altumajor cum duobus millibus Saracenorum ingressus urbem munivit. Crastina vero die tandem victus reddidit Imperatori nostro urbem tali pacto, quod baptismum subiret, et imperiis Caroli subjaceret, et urbem amplius ab illo teneret.

„ senza ambizione, ed esemplare in tutta la sua vita,
„ (Io voglio dirlo di passaggio, malgrado i rimproveri
„ de' secoli ignoranti): le sue conquiste prodigiose fu-
„ rono la dilatazione del Regno di Dio, ed egli mostros-
„ si Cristianissimo in tutte le sue opere. *Edit. Venetiarum apud Joseph Battaggia an.* 1825.

S. M. Calixtus II. (inter alia præclara sua gesta) Monasterio Casinensi justitiam fecit adversus spoliantes illud juribus suis. Ecclesiam suam Viennensem Primatu donavit super septem Provincias: Viennensem, Bituricensem, Burdegalensem, Auxitanam, Narbonensem, Aquensem, et Ebredunensem. Dignitate Compostellanam Ecclesiam in Hispaniis extulit, S. Jacobi Compostellani studiosissimus. In Provincia Viennensi S.Antonii Magni Ecclesiam consecravit, sitam apud montes Desiderici. Cisterciensibus privilegia confirmavit. S. Norbertum prædicandi Evangelium honore decoravit. Palatius in vita S.M. Calixti II.) Indignum plane est tanto (Pontifice, quod in præfata editione ex alia anteriori injuriose in ipsum transcribitur !

(*) *Domine, Domine, virtus salutis meæ: obumbrasti super caput meum in die belli. Psal.* 139. 8.

✠

J. M. J.

Ex Historia Augusta quinque Carolorum P. Josephi Pichlfr a Soc. Jesu pag. 86. de mirabili consecratione Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Aquisgranensis sub S. Leone III. ab Imperatore Carolo Magno *ædificatæ, ubi ipsius corpus servatur.*

452. *Corollarium* 18. Non ingratam sane fuisse Deo hanc Caroli in Sacrorum apparatu, et ritibus magnificentiam, insigne manifestat prodigium, quod ex ANNAL. ECCL. LEOD. apud CHAPEAVILLE *Tomo I. Episc. Tungr. pag.* 63. PETRUM CANISIUM *in Martyrol.*, TURCKIUM *in Fastis Carolinis ad annum* 805. §. 1. et alios legitur: Voluerat Imperator ad consecrationem Basilicae Aquisgranensis, sub anni (ut conjicit Turckius) 805. initium tot convenire Episcopos, quot dies annus complecteretur, nempe *trecentos*, *quinque*, *ac sexaginta*. Duo forte e numero deerant. Mirum dictu! prodiisse ajunt Mondulphum, et Gondulphum, quondam Tungrenses Episcopos, e suis sepulchris, quae erant in medio Ecclesiae Trajecti ad Mosam, S. Servatio Sacrae, atque Aquisgrani ingenti gaudio huic celebritati adfuisse. Ea peracta, et a Leone Pontifice accepta benedictione, cunctis stupore defixis, recessisse, ac sua repetiisse monumenta.

453. Narrationem hanc tanquam commentitiam rejicit *Bartholomæus* FISENIUS *Instit. Leod. lib.* 5. utpote a nullo veterum auctorum, qui res Caroli sunt prosecuti, vel verbulo insinuatam. Dubitationem vero Fisenii ita redarguit TURKIUS: *Quam multa sunt, Fiseni, maximi momenti negotia ipsius Caroli, aliaque, quae sub Carolo acciderunt, ab iisdem auctoribus praetermissa? Supra ex Archiviis indicavi paucula. Neque tamen hic ego quidquam affirmo, nec definio. Penes pios, nec ineruditos homines, quod prodidere, fides esto.*

Ex eadem historia pag. 87 de possessione, aut protectione CAROLI MAGNI *Sanctorum in orbe locorum.*

459. *Corollarium* 20. Pertinet ad gloriam religiosissimi Principis, quod Sanctissimorum in Orbe locorum aut possessionem, aut protectionem, et claves sibi trasmissas habuerit. Certe Hadrianus Papa, vexillum, et claves sepulchri Sancti Petri Carolo, gloriosum munus, submisit; quod et a Successoribus factitatùm ostendit *Pagius Crit. Baron. ad ann.* 774 *num.* 4. et de Leone Tertio testatur EGINHARDUS in Vita Caroli: *Leo per Legatos suos claves Confessionis* (ita compellant locum sepulchri S. Petri) *S. Petri, ac vexillum Romanæ Urbis, cum aliis muneribus Regi misit.*

460. Claves et vexillum Sanctorum Hierosolimae locorum a Gregorio Hierosolimorum Patriarcha accepisse Carolum *Monachus EGOLISMENSIS in Vita Caroli* refert: *Eadem die* (VIII. Cal. Dec.) *Zaccharias cum duobus Monachis, uno de Monte Oliveti, altero de S. Sabo de Oriente reversus Romam venit, quos Patriarcha ad Regem misit. Qui benedictionis causa claves Sepulchri Dominici, ac loci Calvariæ, claves etiam civitatis, et montis Oliveti, cum vexillo detulerunt.*

461. Aaron denique Persarum Rex non modo facile concessit, ut Legati Caroli pretiosa dona ad Sacra Palestinae loca deferrent, *sed etiam Sacrum illum et salutarem locum, ut illius potestati adscriberetur, concessit.* Teste iterum EGINHARDO *in Vita Caroli.* Quod et confirmat POETA SAXO.

Adscribique locum Sanctum Hierosolimorum Conscessit propriæ Caroli semper ditioni.

IMPRIMATUR

A. Franci Episcopus Suff. et Vic. Gen.

NIHIL OBSTAT

Aloysius Ghirelli Trib. Urb. et Velit.

ADDITIO

AD HISTORIAM CAROLI MAGNI ET ROLANDI A TURPINO SCRIPTAM.

Ex editione Georgii Christiani Joannis: Francofurti ad Mœnum impensis Viduæ B.Joan. Maximil. a Sande an. 1726. (Opus ibi dicitur ab Editore auctum, sed antea scriptum, a Justo Reubero Jureconsulto, qui id dicavit *Heidelbergæ* ann. 1553. Christiano, Joan. Casimiro, Joa. Ernesto, Friderico Willelmo, et Joann., Saxoniæ Ducibus, Langraviis Thuringiæ, et Marchionibus Misniæ, quos *Dominos suos clementissimos* appellat).

" Post Caput XXXII. in eodem Codice manuscripto sequitur aliud Supplementum, quod e memorato Lambecii commentario p. 336. et seq. hic subjungo. "

Sed valde dignum est, ut inter cætera ad Domini Nostri Jesu Christi decus revocetur ad memoriam quoddam optimum exemplum, quod Beato Rotolando, dum adhuc viveret, antequam etiam ingrederetur Hispaniam, ut fertur, accidit.

" Ita ibi scriptum est, non autem Rolando. "

Cum igitur vir venerandus Rotolandus Comes Granopolim urbem cum innumeris Christianorum exercitibus septem annorum spatio per circuitum obsedisset, velox advenit paranymphus, nuntians ei, quod Carolus, ejus avunculus, in arce quadam urbis Germaniæ obsidione trium Regum, Wandalorum scilicet, Saxonum, et Frisonum; omnique eorum exercitu tenebatur, mandans, et efflagitans, ut sibi cito cum suis exercitibus succurreret, eumque a Paganis liberaret. Tunc nepos, avunculi sui dilecti anxietate mœstus, præmeditari studuit, quid sibi melius esset faciendum, aut urbe, pro qua tantos labores passus fuerat,

relinquere, aut avunculum liberare, aut illum dimittere, et urbem expugnare, et Domino Nostro Jesu Christo eam subjugare. O virum per omnia laudabilem, pietate redundantem, inter duas fortunas meditatione angustatum! Sed quid vir venerandus egerit, nobis est diligenter audiendum. Tribus diebus, totidemque noctibus non manducans aut bibens, Sacris precibus cum suis exercitibus vacat, Deumque sibi in auxilium vocat, dicens: Domine Jesu Christe, Fili Patris Altissimi, qui divisisti Mare Rubrum in divisiones, et eduxisti Israel per medium ejus, et præcipitasti Pharaonem in Mari Rubro, et transduxisti populum tuum per desertum: qui percussisti gentes multas ejus adversarias, et occidisti Reges fortes, Seon Regem Amorræorum, et Og, Regem Basan, et omnia regna Chanaan, et dedisti terram eorum hæreditatem populo tuo Israel: qui Jericho muros, quibus adversantium cingebatur exercitus, sine humana pugna, et absque machinatione humani artificis, optima processione facta tubis clangentibus præcipitasti. Tu, Domine, destrue urbis hujus fortitudinem, totamque ejus armaturam in Manu tua potenti, et Brachio tuo invincibili confringe, ut gens Pagana, quæ in sua feritate, non in Te confidit, agnoscat Te Deum Vivum, omnium Regum fortiorem, Omnipotentem, Christianorum auxiliatorem, et protectorem esse; qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus per omnia Secula Seculorum, Amen. Quid plura? Facta hac prece tertia die sine humano tactu lapsis undique muris urbis, detrusisque Paganis, et effugatis, Rotolandus Comes gavisus cum suis exercitibus ad Carolum, in terram scilicet Teutonicam, cito profectus est, cumque potenti virtute Dei ab inimicorum nexibus eripuit. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.

Qui legis hoc carmen Turpino posce iuvamen,
Ut Pietate Dei subveniatur ei.

Beatus itaque Turpinus, Rhemensis Archiepiscopus, Christi Martyr, post Beati Karoli Regis transitum ex hoc mundo, modico tempore vivens, apud Viennam, doloribus vulnerum et laborum suorum angustiatus, digna nece ad Dominum migravit, et ibi juxta urbem ultra Rhodanum scilicet versus orientem, in quam Ecclesia olim sepultus extitit. Cujus Sanctissimum

Corpus nostris temporibus quidam ex nostris Clericis, in quodam Sarcophago optimo, Episcopalibus vestibus indutum, pelle etiam propria, et ossibus adhuc integrum, invenerunt, et ab Ecclesia illa, quæ erat vastata, detulerunt illud contra Rhodanum in urbem, et sepelierunt in alia Ecclesia, ubi nunc veneratur. Modo coronam victoriæ obtinet in Cœlis, quam laboribus multis acquisivit in terris.

" Hoc omnino falsum est (1). Obiit enim Archiepiscopus Turpinus ante Imperatorem Carolum M. quippe a quo successor ejus in Archiepiscopatu Rhemensi constitutus est Wlfarius, teste Flodoardo lib. 2. cap. 18. "

Credendum, quod hi, qui in Hispania Martyrium pro Fide Christi (2) acceperunt, nunc in Cælestibus Regnis merito coronantur; et quamvis Karolus, et Turpinus, una cum Rotolando, et Oliverio, cæterisque Martyribus, in Runtiæ Valle necem minime accepissent, tamen ab eorum Corona perpetua non alienantur, qui sensere, quamdiu vixere, plagarum, et percussionum, et laborum dolores, quos cum il-

(1) *Non probatur falsitas ab hoc Auctore præcipiti in judicio suo. Nam Turpinus subscripsit testamento Caroli Magni, et sine ejus morte, sed ex renuntiatione sua, potuit constitui Wlfarius in ejus Archiepiscopatu.*

(2) *Cum hac doctrina concordat V. P. Didacus à Gadibus, de Milite Catholico: Cardinalis Raimundus in elevatione Corporum solemni Virginum Sociarum S. Ursulæ inter Constantiam et Basileam: Ecclesia in celebratione Officii 7. Pontificum Pontiani, Marcelli etc. Sermo Cardinalis Brancadoro de morte Summi Pontificis Pii VI. et Calixtus II. de inventione Corporis Turpini. Verba Diplomatis Rm̃i Cardinalis Raimundi, Legati Apostolici in Universam Germaniam et alias Provincias Septentrionales, in eo processu sunt hæc: " S. Mater Ecclesia plures Martyres colit, qui tamen non gladio, sed zelo Martyrii ducti diem clauserunt extremum, " et citat Auctorem dicentem: " Etsi ad Martyrium exigatur actualis contemptus mortis semel a ratione imperatus, non tamen ad rationem Martyrii exigitur universaliter tolerantia actualis mortis. "*

lis in agone acceperunt. Si socii passionum, inquit Apostolus, fuerimus, simul et consolationis erimus.

Rotolandus (1) interpretatur rotulus scientiæ: quia omnes Reges, et Principes omnibus scientiis imbutus excellit. Oliverius interpretatur heros misericordiæ, quia clemens, et misericors super omnes extitit, clemens sermonibus, clemens martyrii generibus. Karolus interpretatur lux carnis, quia omnes Reges carnales post Christum luce omnium virtutum te sanctitatum excellit. Turpinus interpretatur pulcherrimus, sive non turpis; quia aut turpia opera, aut verba in nullo, sed honesta dilatavit.

" Etymologiæ (*) nominum propriorum Rotolandi seu Rolandi, Oliverii, Caroli, et Turpini, quæ deinceps (1) sequuntur, ineptissimæ sunt, et risu potius quam refutatione dignæ ".

Sexta decima Kalend. Julii illa die scilicet, qua de mundo ad Dominum transierunt, officium defunctorum, Vigilia scilicet, et Missa Requiem æternam, cum propriis exequiis et horis debent celebrari non solum pro Karoli defuncti pugnatoribus, sed etiam pro his cunctis qui a tempore ejusdem Karoli usque in hodiernum diem in Hispania, et in Hierosolimitanis oris pro Christi Fide Martyrium sumpserunt. Quot, et quanta Karolus pro Animarum eorum salute, die passionis eorumdem, egenis usus sit impertiri, superius legendo fas est inveniri.

Quid Patriæ Gallæciæ post Karoli necem accidit, nobis est memoriæ tradendum. Cum igitur post Karoli necem Gallæciæ tellus per multa tempora in pace temporali quiesceret, dæmonis instinctu surrexit quidam Saracenus Altumajor Cordubæ, dicens, quod terram Gallæcianam, et Hispanicam, quam Karolus ab antecessoribus suis olim abstulerat, ipse sibi acquireret, legibusque Saracenis subjugaret. Tunc coadunatis sibi exercitibus multis, et terram, et Patriam huc, et illuc devastando, us-

(*) *Etymologiæ istæ non omnibus ineptissimæ videbuntur, et risu dignæ, sed in bonam partem accipi possent, saltem ut interpretationes accomodatitiæ in honorem Heroum, qui tantum pro defensione Reipublicæ Christianæ laboraverunt, et passi sunt, ut eorum memoria in benedictione sit.*

que ad Beati Jacobi Urbem pervenit, et quidquid invenit in ea, totum vi abstulit. Similiter Basilicam Apostolicam indigne totam devastavit, Codices, et Mensas argenteas, et tintinnabula ab ea abstulit. Cumque in ea Saraceni ipsi cum equis suis hospitati essent, gens dira digestionem etiam circa Altare Apostolicum agere cœperunt. Quapropter alii ex illis, Divina ultione operante, solutione ventris commoti, quidquid corpore continebant, per posteriora foras ejiciebant, alii vero oculorum lumina per Basilicam, et Urbem ut cæci errantes, amittebant. Quid plura? Hac ægritudine idem Altumajor tactus, etiam excæcatus, consilio cujusdam captivi sui, ejusdem Basilicæ Sacerdotis, cœpit invocare Deum Christianorum in auxilium, his verbis dicens: O Deus Christianorum, Deus Jacobi, Deus Mariæ, Deus Petri, Deus Martini, Deus omnium Christianorum, si me ad pristinam sanitatem revocaveris, Mahummet Deum meum abnegabo, et Jacobi, Viri Magni, ad Patriam, rapacitatis causa, amplius non veniam. O Jacobe, Vir Magne, si utero meo, et oculis meis salutem dederis, quicquid a Domo tua abstuli, omnia restituam. Tunc post quindecim dies, omnibus dupliciter restitutis, ad pristinam salutem Altumajor revocatus, a Patria S. Jacobi recedit, promittens, se non amplius venire in oras ejus, causa rapacitatis, prædicans Deum Christianorum esse Magnum, et Jacobum Magnum esse Virum. Postea vero oras Hispanicas devastando pervenit ad villam, quæ vulgo dicitur Orntz (*), in qua Beati Romani Basilica optima, et pulcherrima erat, palliis, et codicibus optimis et crucibus argenteis, et textis aureis decorata, ad quam cum iniquus Altumajor venit, rapuit quidquid in ea invenit, et villam similiter devastavit. Cumque in eadem villa cum suis exercitibus hospitatus esset, quidam Dux exercituum ejus ingressus, in eadem Basilica vidit columnas pulcherrimas lapideas, quæ ejusdem Ecclesiæ tecta sustentabant, quæ etiam in summitate deargentatæ, et deauratæ erant. Nequitiæ invidia tactus, quemdam cuneum ferreum

(*) *Adnotatur in hac editione, hunc locum esse „* Orense, *ad Minium fluvium in Gallæcia, vid.* Ortel. *„ Thesaurus geographicus, voce* Aquæ calidæ, et Auria. “

inter bases cujusdam columnæ, et eamdem columnam fixit. Cum itaque cuneum illum mallo ferreo fortiter, magnisque ictibus feriret, totamque Basilicam præcipitare tentaret, divino judicio idem homo Lapis efficitur. Qui etiam Lapis usque hodie in effigie hominis in eadem Basilica persistit habens talem colorem, qualem ejusdem Saraceni tunica tunc gerebat. Solent etiam peregrini enarrare, qui illuc precum causa tendunt, quod Lapis ille fætorem emittit. Quod ut Altumajor vidit, ait domesticis suis: Magnus est revera Deus Christianorum, et glorificandus, qui tales habet alumnos, qui licet sint ab hac vita migrati, tamen in nos sibi rebelles ita justificant, quod uni oculorum lumen auferunt, et alium lapidem mutum faciunt. Jacobus lumen oculorum a me abstulit, Romanus hunc Lapidem fecit. (1) Sed magis Jacobus clementissimus est,

(1) *Non est hœc conversio hominis in Lapidem sine exemplo, nam præter illud Generis cap.* 19. *v.* 26. *uxoris Lot versœ in statuam salis, in Civitate* Darocœ *in Aragonia apud Ecclesiam Sanctissimœ Trinitatis conservatur statua lapidea, in quam versus fuerat juxta traditionem loci quidam* Petrus Visagra *ob quamdam maledictionem a se ipso mendaciter sibi factam, ut indicant seguentes versus, qui ibi existebant per an.* 1790, *quique nunc dicuntur deficere:*

Gorgoneum vidisse caput, ne crede, Visagram,
Saxeus ut fieret: fabula non canitur.
Ecce sibi execrans, lapidescit protinus ipse,
Jamque Petra est factus, qui modo Petrus erat.
Hanc metamorphosim subitam mirare, viator,
Sed ne summa Dei te petat ira, cave.

Conservatur ibi alia statua staturœ ejusdem hominis, quam dicitur habuisse vivens, et parva in quam versus est dicitur per tres dies arsisse in conspectu omnium. Sunt alia mirabilia in ea Civitate, et prœsertim incorruptœ formœ consecratœ, unaquœque cum colore sanguinis permanentes per multa sœcula a tempore SS. Thomœ Aquinatis et Bonaventurœ, et ad festum Corporis Christi quotannis portantur illuc multi energumeni ob experientiam liberationis multorum

quam iste Romanus. Jacobus enim oculos meos reddidit mihi misertus, sed hominem meum reddere non vult Romanus. Fugiamus ergo ab his horis. Tunc confusus abscessit Paganus cum suis exercitibus, nec fuit postea per multum

ab infestatione diabolis : in qua civitate primam notitiam honorificam editor habuit de Carolo Magno per an. 1787. cum ibi esset Alumnus Collegii S. Thomæ Aquinatis Religionis Scolarum Piarum. Quod non erit abs re adnotare, ne despiciantur antiqua mirabilia quæ de Carolo Magno referuntur, cum hodie alia non minus mirabilia et proximiora conserventur, ex quibus honorificæ memoriæ de Carolo Magno non incredibiles appareant, sicut multis placet, qui Auctores hæreticos, aut irrisores, aut ab iis deceptos legerunt sine sufficiente discussione.

Pertinet etiam ad memorias S. Caroli Magni laus Principum virorum fortium ejus (quos hæretici, et Poetæ injuriose tractarunt) sicut ex Sacra Scriptura apparet (1. Paral. c. 11.) ubi laudantur fortes Sancti Regis David.

Pertinent quodammodo mirabilia illa, cum quibus post Caroli Magni mortem Deus ipse populum Christianum defendit, quia Sanctorum intercessio creditur in Cœlis talia adjutoria impetrare iis, pro quibus tutandis in hoc mundo ipsi Sancti solliciti fuerunt dum viverent, nam eorum charitas cum vita sua mortali non extinguitur.

De Editoris Georgii notulis (comis initio et in fine distinctis) in Turpinum, quem aliqui cum Tilpino *confundunt ex nominis similitudine, parva est ratio habenda, cum ipse Editor Georgius Christianus manifestaverit, consultius fuisse ut eas omisisset, quas ex amicorum consilio posuit, sed probant saltem ipsæ notulæ levitatem rationum, ex quibus et ipse Editor, et amici sui movebantur ad despiciendas historias antiquas, quæ ideo recte in auctoritate permanent: quidquid in adversum dicant irrisor Gryphiander, et ejus Sectatores.*

Editor harum Memoriarum adjungit, se anno 1793

tempus, qui Beati Jacobi Patriam debellare auderet. Sciant igitur se damnandos, qui ejus tellurem amplius inquietaverint. Qui vero a potestate Saracenorum illam custodierint, Cælesti munere remunerantur.

Finito libro sit maxima Laus Rotolando.

due S. Augustini pervenisse ad bellum contra Rempublicam Gallicam, in populo dicto Roncesvalles, *ubi honorifica Memoria Caroli Magni (in Regia Ecclesia Collegiali sub immediata protectione S. Sedis Apostolicæ) et Crux* Rolandi *dicta conservabantur, ubi Rolandus occubuisse dicitur, non autem ab Hispanis subditis Alphonso Casto Regi, et amico Caroli Magni) ut calumniose ab aliquibus dicitur) sed a Saracenis, ut Turpinus testatur in capite de illo prœlio tractante: cujus mortem Corolus Magnus, qui illi prœlio non interfuit cum jam Pirinœum transisset et in loco ubi populus est* Val-Carlos *a suo nomine dictus concedisset, statim rediens vindicavit persequens Saracenos usque Cœsaraugustam, quorum multa millia interfecit, et mortuos Exercitus sui honorifice sepeliri curavit, et suffragia pro animabus suis sicut vir fortissimus Judas Maccabœus pie offerri sategit.*

BENEDICTUS XIV.

DE SERV. DEI BEATIF. ET BEAT. CANONIZ. LIB. II. CAP. 17. N. 7.

Circa cultum Sanctorum, immemorabili possessione gaudentium, in qua nihil innovandum, cum ab Ordinario loci approbata sit, exemplo S. Liberati de Lauro.

7. Hucusque adducta quantum ad Dei Servos, vel Beatos, quorum Causæ ad Canonizationem tendunt, quidem valent: verum, quid dicendum erit de illis Dei Servis, vel Beatis, qui sunt in possessione cultus immemorabilis, qui nacti sunt indulta a Pontificibus, aut a Sacra Congregatione, quive coluntur, Patribus approbantibus, aut viris Sanctis, suis in scriptis, absque eo quod ullus sit, qui pro eorum Canonizatione instet? Necesse ne erit propterea, ut hi propria in cultus possessione permaneant, *Commissionem* signari, processum confici, ferri sententiam, nec non a Sacra Congregatione sententiam ipsam approbari; et ita sane, ut, hisce haud concurrentibus conditionibus, cultus eorumdem sit amovendus? Porro crederem, omnimoda negatione esse respondendum. Etenim Sa. Me. Urbanus VIII. in suis decretis editis anno 1625. ut tolleret abusus, prohibuit quidem cultum publicum erga Dei Servos non Beatificatos neque ab Apostolica Sede Canonizatos, sed simul protestatus est, se nullum præjudicium afferre iis voluisse, qui vel per communem Ecclesiæ consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, vel per Patrum virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis Apostolicæ, aut Ordinarii jam colebantur: et in Brevi decreta eadem confirmante, emanato anno 1634. addidit, peculiarem processum esse conficiendum, sententiam super

casu excepto esse ferendam, hujusque confirmationis auctoritatem ab Apostolica Sede obtinendam esse, sicut et clarius significavit in aliis subsequenter factis decretis quorum verba in superioribus relata sunt: quæ tamen additiones factæ fueruut tantum pro directione Causarum Canonizationis, nec unquam ea mente Pontifex fuit, ut cultus erga eos amoveretur, qui in aliquo ex casibus expectis versantur, et de quorum Canonizatione nemo est qui cogitet, nisi prius fuerit signata Commissio, confectus peculiaris processus, sententia lata, eademque a Sacra Congregatione confirmata. Ad hæc, si secus ratiocinari quis vellet, magnæ profecto sequerentur absurditates, et scandala fere intolerabilia. Etenim, ut nemo ignorat, in omnibus propemodum Catholici orbis Diœcesibus plerique Dei Servi, atque Beati cultum publicum nanciscuntur sive ratione immemorabili, sive propter Indulta a Summis Pontificibus, absque eo quod signata fuerit unquam Commissio, aut ullus unquam confectus fuerit peculiaris processus, sententiave lata super casu ab Urbani decretis excepto, de quorum cultu removendo si agi vellet, aut id nequaquam obtineretur, aut saltem non sine magnis perturbationibus et offendiculis. Denique, tempore, quo Ipse Fidei Promotoris munus obibam, post amotionem nonnullarum insolitarum Imaginum præseferentium Sanctum quemdam Liberatum de Lauro, Sacra Congregatio jussit, processum confici super ejus cultu immemorabili, subinde vero, jam lata ab Ordinario sententia, negotioque ad eamdem Sacram Congregationem remisso, quia Mihi uti Fidei Promotori pro signatura Commissionis instanti responsum a Postulatoribus fuit, se tantum supplicare pro cultu non amovendo, nolle autem prosequi Causam Canonizationis, Sacra ipsa Congregatio (ut infra latius demonstrabitur) re vera a Commissionis signatura abstinuit, *nihil esse innovandum respondit*, et tantummodo confirmavit antecedentia decreta, quibus insolitæ quædam atque irreverentes Imagines ejusdem S. Liberati vetitæ fuerant. Ex hac facti serie bene desumitur, solemnitates additas de Signatura Commissionis, de peculiari processu, de latione sententiæ, de ejusque confirmatione tantum

ordinem Causarum Canonizationis respicere, ideoque minime necessarias esse ad conservandum cultum erga Dei Servos, qui eum obtinuerunt ex Indultis Apostolicis, aut ex sequela immemorabilis temporis. Nempe ad hos quod attinet, solummodo Ordinariorum onus est invigilare, sint ne vere in aliquo ex casibus ab Urbani decretis exceptis, hoc est an cultus eorum sit re ipsa immemorabilis, præsteturve dependendo ex Indultis a Sancta Sede, aut ex scriptis Patrum virorumque Sanctorum : tum, quatenus viderint, cultum eis exhiberi, et casum esse inter exceptos ab Urbano VIII. de eo abolendo cogitare nequaquam debebunt ; et poterunt etiam, servatis servandis, præsertim vero forma statuta a Concilio Tridentino *sess.* 25. *de invocat. venerat. et Reliq. SS.* sententiam ferre, quæ in hisce circumstantiis non indiget confirmatione Apostolica. Id testatur Matta *de Canonizat. SS. part.* 4. *cap.* 23. *num.* 21. ubi : " Quæres quinto, utrum sententia lata ab
„ Ordinario super casu excepto indigeat confirmatione
„ Apostolica ? Et breviter respondeo cum distinctione vi-
„ delicet : Si non agatur de procedendo ad ulteriora in
„ Canonizatione, sed tantum lata sit ad effectum non re-
„ movendi, et cultum immemorabilem continuandi, non
„ indigere confirmatione ; quia hoc nullibi cautum re-
„ peritur. Si vero instetur, procedi ad ulteriora pro Ca-
„ nonizatione vel Beatificatione, esse omnino necessariam
„ confirmationem Apostolicam ; ut constat ex dispositione
„ decretorum, et observatur in praxi. „ Præterquamquod docuerat idem Matta (*eod. loc. N.* 16.): Superiores, et Custodes Ecclesiarum non teneri instare coram Ordinario, vel Sede Apostolica pro declaratione cultus immemorabilis, quando agitur tantum de eodem minime removendo, nisi forte quid cultui opponatur, et ejus amotio prætendatur ; secus ac, cum progredi intenderent ad formalem Canonizationem ; tunc quippe pro ipsa casus excepti declaratione instare utique tenerentur. Si vero iidem Ordinarii comperirent, in sua Diœcesi cultum exhiberi alicui Dei Servo non Beatificato neque Canonizato, atque adeo pro quo nullus militaret ex casibus exceptis in decretis Urbani VIII. in eo facti modo caute procedendo, possent negotium ad Sedem Apostolicam deferre ; quæ profecto,

nulla prævia signatura Commissionis, nec ulla intercedente Ordinarii sententia, decernere deberet, sit ne perseverandum in ejusdem cultus exhibitione, an ab eadem abstinendum. Quod si dicatur, rem aliter se habuisse in Causa S. Liberati de Lauro, utpote in qua et responsum fuit pro signatura Commissionis, et minime defuit Sententia Ordinarii, quamvis ageretur de cultu tantum non amovendo, reponi nihilominus potest, ea postea in Causa re vera nunquam signatam fuisse eamdem Commissionem, mandatum etiamsi fuerit nonnullas ob rationes alibi referendas, ut signaretur; Sacram quoque Congregationem tunc cognovisse, non esse absolute et simpliciter necessariam ipsam Commissionis signaturam, quando agitur solum de cultu non amovendo, absque intentione progrediendi ad ulteriora; hoc est ad Canonizationem; injunctum item fuisse Ordinario, ut processum conficeret, quo ejus jurisdictio excitaretur, quippe cujus exercitium non erat necessarium, cum dubitaretur, an cultus S. Liberati de Lauro non beatificati neque canonizati esset inter casus ab Urbano VIII. exceptos; latam demum fuisse Sententiam ab Ordinario super cultu immemorabili, quod Ipsis ex antea dictis facere licet; at eam tamen a Sacra Congregatione minime confirmatam fuisse, cum tantummodo, *nihil esse innovandum*, responderit; siquidem juxta doctrinam Mattæ, paulo ante expositam, Ordinarii Sententia super cultu immemorabili nulla indiget confirmatione Apostolica, quando non agitur de Canonizatione impetranda, sed de cultu tantum non removendo.

Applicatio præcedentis doctrinæ S. M. Benedicti XIV. ad honorificas Memorias S. Caroli Magni.

" Quoniam aliqui existimant Rescriptum, *Nihil esse innovandum*, ad supplicem libellum nomine Rmi Patris Procuratoris Generalis Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Hispaniæ pro nova expressa confirmatione Apostolica cultus S. Caroli Magni ad ejus Officii extensionem obtinendam, esse in præjudicium Causæ hujus Sancti; visum est adjungere doctrinam S. M. Benedicti XIV. de Sanctis non Canonizatis solemnitate præsentis disciplinæ, ut licet S. Carolus Magnus non censeatur aliquando Canonizatus (sicut aliqui tradunt olim fuisse vel a Paschale II. S. M. vel ab Alexandro III. S. M. ratam habente Canonizationem S.Caroli Magni factam sub Antipapa Paschale III. appellato), saltem ex cultu publico Ecclesiastico ab antiquissimo tempore cum scientia et tolerantia Sedis Apostolicæ S. Carolo præstito cum approbatione Ordinarii loci, in quo Corpus suum habet, quin etiam ad alias Diœcesis extenso, omnibus pateat, tantum Imperatorem legitime Sanctum reputari et invocari posse juxta Decreta S. M. Urbani Octavi. Hujus enim cultus publici scientia, et tolerantia Sedis Apostolicæ clarius et denuo evidentius patent ex præfato novissimo Rescripto Summi Pontificis feliciter Regnantis, qui si talem cultum indebite S. Carolo Magno præstari videret, sine dubio eum amoveri faceret, et minime e contra decrevisset: *Nihil esse innovandum*, in quo Rescripto tacite consentire videtur, licet expresse talem cultum non confirmet, quem nova confirmatione Apostolica egere non existimavit, nec tamen eum extendere expedire credidit ad unius Instantiam Rmi Patris Procutatoris præfati.

Ex libro Venetis edito an. 1503. dicato Bergomi ex Æde S. Augustini Reverendo Patri in Christo Aloisio Tasso Episcopo ec. cui titulus est: *Novissimæ historiarum omnium repercussiones, noviter a Reverendissimo P. Jacobo Philippo Bergomense Ordinis Eremitarum editæ: quæ supplementum supplementi Chronicarum nuncupantur. Incipiendo ab exordio Mundi usque in annum salutis nostræ 1502: cum gratia et privilegio.*

Post relatas victorias Caroli Magni; et filii ejus de Hungaris, addit auctor sequentia: folio 258. " Adelphonsus autem eo tempore Austeriæ et Gallæciæ Rex acceptis a Carolo auxiliaribus copiis, superatisque Saracenis, Ulisibonam Civitatem vi cepit: qui vero in præsidio Barchinone erant, audita Adelphonsi victoria, Carolo se confestim dedunt. Superantur et Bavari qui Forojulianos vexabant ab Henrico Caroli Præfecto. Sed et cum Romani adversus Leonem Pontificem conjurassent, et urbe eum pepulissent, Carolus Pontifice audito confestim cum exercitu in Italiam venit: et ibidem omni tumultu sedato Pontificem cum ingenti gloria in Sedem restituit: a quo pro suis benemeritis Augustus et Imperator appellatus, diademate et Imperiali donatus est: accepta vero Imperii potestate in Galliam proficiscens, incredibili honore exceptus est. Ferunt hæc bella 46. annis, quibus regnavit, incredibili felicitate, tum magnitudine quadam animi, tum etiam ingenii atque consilii Carolum non solum gessisse, sed etiam confecisse; quibus Regnum, satis amplum a Patre acceptum, longe majus posteris suis reliquit: Unde eam sibi famam per universum mundum comparaverat, ut undique ad Eum Legationes convenirent, amicitiamque pubblice, ac privatim peterent: nonnulli

autem Auctores tradunt, et præsertim Dominus Jacobus de Voragine (1) Theologus, Genuensis Archiepiscopus in sua Chronica rem memoratu dignam: Carolum in Longobardorum bello apud Genuam conventum habuisse: ibidemque ad preces Constantini Imperatoris Constantinopolitani classicos Exercitus contra Aphros et Sarracenos comparasse: quibus fretus auxiliis in barbaros Hierosolymam occupantes exercitum duxisse, profligatisque exinde barbaris, atque ex omni Provincia pulsis, Christianos in Hierosolymam restituit: et firmam ac munitam præsidiis relinquens, Bizantium ad Constantinum Imperatorem profectus, magno et incredibili honore susceptus est: ibiqne cum oblatos thesauros repudiasset, multis Sanctorum Reliquiis donatus est: ac paulo post in Galliam rediens, Coronæ Domini Nostri Jesu Christi partem: partemque Dominicæ Crucis, et Clavum unum, Sudariumque, nec non et Beatissimæ Virginis Mariæ Camisiam secum detulit, et ad Basilicam Aquisgrani transmisit. Carolus autem ob beneficium a Genuensibus susceptum cum eorum Civitas parum humane a Longobardis fuisset gubernata, et in protectionem suscepit, et multis privilegiis exornavit, ac deinceps cum summa justitia et humanitate gubernavit: quibus et Ducem pro administranda Republica primum præfecit. Concessit et Venetis ex tunc propriis uti legibus; Florentiam deinde, Etruriæ Urbem desertam, instauravit et cives suos in ea cum summa charitate collegit; ac alia pene innumerabilia beneficia Italiæ Urbibus contulit.

(1) *A P. Joanne Bolando, in prologo ad opus suum doctissimum, commendatus pro vitis Sanctorum ab eo scriptis, nunc tandem Beatificatus a S. M. Pio VII., et in Officii ejus lectionibus merito laudatus.*

Quædam excerpta ex libro Illm̃i ac Rm̃i Domini Lupoldi Bebenbergii, Episcopi Bambergensis (qui per ann. 1340. floruit) " De veterum Principum Germanorum ze„ lo et fervore in Christianam Religionem, et Dei Mini„ stros, ad Illm̃um Principem Rudolphum Ducem Saxoniæ ", in Maximæ Bibliothecæ Veterum Patrum tomo 26. Lugduni edito an. 1677. contenti a pagina 88., in qua de hoc libro dicitur quod sequitur: " Scriptus quidem „ ante annos ducentos, sed præsentibus temporibus per „ quam accomodus, et lectu necessarius: " unde patet tunc adhuc in pretio hoc Opus fuisse apud doctos, et mirabilia in eo narrata de S. Carolo Magno, de quo præter contenta capite secundo de zelo Catholicæ Fidei veterum Principum Germanorum, quem ad dilatandam Fidem Catholicam habuerunt, in quo singulariter Carolus Magnus emicuit, in sequentibus Capitibus talia leguntur.

CAPUT XI.

De diversis Conciliis super statu, et necessitatibus Cleri, et Ecclesiarum per devotam veterum Principum Germanorum procurationem habitis, ac de Statutis per quosdam ipsorum ad legem Ecclesiasticam pertinentibus promulgatis.

Jussu Caroli Magni plura in Regno Francorum celebrata concilia.

Attendentes provide veteres Germani principes, quod pro necessitatibus et statu Ecclesiarium ac Monasteriorum, expediebat, frequenter Episcoporum concilia congregari, ac in eis multa Statuta fieri salubriter ordinarunt. Quidam etiam ipsorum multa statuta ad legem Ecclesiasticam pertinentia ediderunt. Legitur namque in historia Francorum, quod jussu Caroli Magni plura in Regno Francorum fuerunt ab Episcopis Concilia celebrata. Quorum unum fuit Moguntin. cui Richolfus Moguntin. et Hildebaldus Coloniensis Archiepiscopi præsiderunt:

Alterum Remis: Tertium Thuronis: Quartum Cabilonæ: Quintum Arelatæ: ac constitutiones in singulis factæ, fuerunt ab eodem Carolo confirmatæ. Idem Carolus Magnus sub anno Domini 794. in Franckenfurt Magnam Synodum Episcoporum Germanorum, Gallorum, et Italorum (cui etiam affuerunt Legati Sedis Apostolicæ) congregavit: ubi inter alia, hæresis cujusdam Episcopi Felicis, qui Christum, secundum quod est homo, adoptivum Dei filium esse dicebat, tertio est condemnata, ut in Francorum historia, et chronica Eusebij plenius continetur. Idem etiam Carolus in Civitate Compostellana constituit Episcoporum Concilium, ubi amore B. Jacobi Apostoli, instituit, ut omnes Reges, et Præsules, seu Principes Christiani, Hispaniæ ac Galliciæ, Episcopo Compostellanæ Ecclesiæ obedirent: præcipiens ut unusquisque possessor unius domus totius Hispaniæ et Galliciæ 4. nummos ex debito annuatim Ecclesiæ Compostellanæ solverent, sicque ab omni essent liberi servitute: costituens, ut Virgæ Pastorales, Episcopales, et Coronæ regales per manus Compostellani Episcopi ad honorem S. Jacobi præbeantur: prout hæc in spec. histor. lib. 25. cap. 17. latius continentur. Post hæc etiam dictus Carolus congregavit Concilium apud Ecclesiam S. Dionysii, Ordinis S. Benedicti, ubi omnem Franciam Gallicam Ecclesiæ S. Dionysii subjecit, præcipiens ut eidem Ecclesiæ unusquisque possessor unius domus totius Gallicæ Franciæ 4. nummos annuatem ad edificandam ipsam Ecclesiam daret: et servos qui hos nummos libenter solverent manumissit, ut in prædicto lib. c. 22. plenius continetur. Item Imp. Ludovicus filius ejusdem Caroli, consensu Stephani Pa-

Synodus Franckfortens.

De Concilio Compostellan.

De Concilio apud Ecclesiam S. Dionysii.

Concilium Aquisgranense.

pæ III. Aquisgrani sub anno Domini 816. magnam Episcoporum Synodum congregavit, in qua liber Canonicorum regulam continens ex dictis Augustini, Gregorii et aliorum Sanctorum Patrum excerptus, ejusque ordinatione compositus observari mandatur, ut in speculo histor. lib. 25. cap. 26. et in historia Francorum plenius continetur: et hic liber, qui Regula Canonicorum dicitur, in Ecclesia Herbipolensi habetur, ipsumque puto, in cæteris Ecclesiis Cathedralibus Germaniæ reperiri. Ipsius denique tempore ab Episcopis et Clericis (ut in lib. et capitulo prædictis legitur) baltea gemmis culta, et cinguli auro texti, exquisitæ vestes, et alia ornamenta secularia deponi cœperunt. Tempore etiam ejusdem Ludovici, sub anno Domini 819. Conventus Episcoporum Aquisgrani habitus est, in quo multa de Ecclesiarum statu tractata sunt, Constitutionibus insuper prius factis, capitula quædam necessaria præsertim, et usus Monachorum regularium sunt adjecta, prout in historia Francorum, et in speculo histor. lib. et cap. prædictis plenius continetur. Plura insuper Statuta Carolus Magnus, et idem filius ejus Ludovicus ad Ecclesiasticam Legem pertinentia ediderunt: quæ Arisegisus Abbas Lobiensis in duobus libellis digessit, ut patet in spec. histor. lib. 25. cap. 33. et ex Statutis hujusmodi quædam Sacris Canonibus reperiuntur inserta, ut 19. di. in memoriam. 63. di. Sacrorum. 16. quæst. 1. quia juxta, cum similibus, quod patet ex suprascriptione Canonum prædictorum. De Statuto etiam quodam prædicti Ludovici fit mentio in textu Canonis 23. qu. ultim. ca. 2.

Regula Canonicorum.

CAPUT XII.

De diligentia exacta, quam ad habendum Sanctorum Reliquias, et ornamenta Ecclesiastica veteres Germani Principes habuerunt.

Postremo, ut ex his, quæ in Principibus seculi zelus Christianæ Religionis exposcit, nihil veteribus Germanis Principibus defuisse monstretur: sciendum est, quod ipsi ad babendum Sanctorum Reliquias, et Corpora, ac ornamenta Ecclesiastica, singularem quandam et exquisitam diligentiam adhibere curarunt. Nam Carolus Magnus, super occupatione Terræ Sanctæ a Sarracenis facta, Legatis Patriarchæ Hierosolymitani, et Constantini Imperatoris Constantinopolitani receptis, eidem Terræ Sanctæ compatiens, cum magno exercitu illuc pervenit: et cum recuperata eadem terra per Constantinopolim rediret, aurum, argentum, gemmasque pretiosas, a prædicto Imperatore gratanter sibi exhibitas, recipere renuit, solasque Dominicæ Passionis, et Sanctorum Reliquias postulavit. Præmisso itaque jejunio et oratione, de Corona Domini partem, quæ tunc ipso cernente floruit, et Clavum unum Passionis, partemque Crucis Dominicæ, Sudarium Domini, Camisiam Beatæ Mariæ Virginis, Fasciam, quæ puerum Jesum in cunabulis texit, ac Brachium Sancti senis Simeonis recepit: quæ omnia multis miraculis comitantibus secum detulit, et Aquisgrani in Basilicam Sanctæ Mariæ, quam construxerat, recondi fecit, ut in spec. hist. l. 25. c. 5. et in Chronica Martini plenius continetur. Item Aaron Rex Persarum, qui excepta India totum pene tenebat Orientem, Carolo Magno, inter cætera munera, etiam Corpora

Carolus Magnus quas Reliquias Aquisgranum intulerit.

Aaron Rex Persarum quas reliquias

Carolo Magno transmiserit.

Sanctorum Cypriani Martyris Carthaginen. Episcopi, et Sperati Episcopi, et Caput Panthaleonis Martyris transmisit: ut in prædicto libro, cap. 2. plenius continetur. Item Monachus quidam sub anno Domini 799. eidem Carolo ex parte Patriarchæ Hierosolymitani multas Reliquias attulit, ut in Francorum historia continetur.

Ut Carolus Mag. Imper. ornaverit Basilicam Aquisgran.

Idem etiam Carolus Basilicam prædictam Aquisgrani ex auro et argento luminaribus, atque ex ære solido cancellis et januis ornavit: ad cujus structuram cum columnas marmoreas aliunde habere non posset, de Roma et Ravenna devehi fecit: Sacrorumque vasorum ex auro et argento, vestimentorumque Sacerdotalium tantam in eadem Basilica copiam procuravit, ut in Sacrificiis celebrandis, nec janitoribus quidem (qui ultimi ordinis sunt) privato habitu ministrare necesse fuisset; ut in historia Francorum et Chronica Eusebij continetur.

CAPUT XIV.

De multiplicibus bellorum victoriis, per veteres Principes Germanos habitis, ac Miraculis per merita quorundam ex ipsis factis, Divinisque Revelationibus eisdem ostensis.

Carolus Magnus Imperat.

.... Igitur Carolus Magnus dum reparata Terra Sancta redire disponeret, atque a Constantino Imperatore, Constantinopoli existens, Passionis Dominicæ Reliquias postulasset, ac Daniel Constantinopolitanus Antistes concham, in qua erat Corona spinea Domini, ad dividendas Reliquias hujusmodi aperuisset, tantus inde odor exiit, ut astantes in Paradiso se esse putarent. Tunc Carolus in pavimentum Ecclesiæ prostra-

tus, plenus Fide oravit Dominum, ut ad sui Nominis gloriam, Passionis et Resurrectionis suæ Miracula renovaret. Et cum orasset, statim ros Cælitus lignum infudit et flores emittere fecit, tantaque lux cum odore affuit, ut præsentes sua vestimenta Cœlestia esse putarent, flores vero conversi fuerunt in Manna, quod modo est apud S. Dionysium, quod a multis putatur esse de illo Manna, quod pluit Dominus filiis Israel in deserto. Omnesque ægri, qui aderant, ad odorem florum sanati fuerunt. Quibus gestis, ecce turba infinita Ecclesiam violenter intrans, clamare cæpit : Vere hodie dies Resurrectionis existit. Nam odor de floribus exiens Civitatem impleverat, et trecentos et unum ægros pristinæ restituit sanitati. Deinde Carolus ad partes rediens, in quodam Castro per tactum Reliquiarum, a prædicto Imperatore Constantinopoli receptarum, puerum mortuum suscitavit ; ubi etiam quinquaginta ægri sexus promiscui sunt curati. Post hæc dicto Carolo Aquisgranum ad reponendum dictas Reliquias veniente, sanati sunt ibidem febricitantes innumeri, dæmoniaci, leprosi, paralytici, claudi, mantigipposi, et epileptici multi, ac cæci visum receperunt, unusque mortuus fuit suscitatus. Propter quod gloriosus Carolus indixit, ut omnes ad videndum Reliquias, quas de Hierosolymis, et de Constantinopoli adduxerat Aquisgranum, Idibus Junii convenirent, statutumque fuit ibidem Leone Papa III. præsidente, ut quolibet anno, in quarta feria Jejuniorum quatuor temporum in mense Junii, Reliquiarum ostensio fieret prædictarum. Hæc, et quædam alia de hoc in speculo histor. lib. 25. ca. 5. plenius continentur. Item Beatus Jacobus Apos-

Miracula.

tolus, filius Zebedæi, Carolo Magno nocte in extasi apparuit, dicens, eum, ad liberandum terram Galliciarum, in qua corporaliter incognitus quiescebat, a Sarracenorum manibus, fuisse a Deo electum. Ad cujus admonitionem Carolus cum magno illuc perrexit exercitu. Cumque obsideret Pampilonam, et, propter muros inexpugnabiles, ipsam capere non posset, oravit Sanctum Jacobum, ut ob sui honorem Nominis daret ei capere Civitatem: et tunc muri Civitatis funditus corruerunt. Idem etiam factum fuit, dum idem Carolus Luteriam maximam urbem in valle viridi obsideret: quæ urbs deserta est usque in hodiernum diem: hoc in lib. 25. prædicto in 6. cap. plenius continetur. Pluribus insuper aliis Miraculis, Divinisque Revelationibus gloriosus Carolus claruit, ut in prædicto lib. cap. 4. 13. 20. 22. et 24. plenius continetur. Multa etiam Deus Omnipotens præclara Miracula exercitui ejusdem Caroli monstrare dignatus est. Unde refert historia Francorum, quod dum Saxones, Carolo Magno in Italia existente, Castrum Heresburg sub anno Domini 776. obsidione cinxissent, ipsumque Castrum quadam die summis viribus invadere niterentur: ecce gloria Domini super domum Ecclesiæ, in eodem Castro sitæ, tam Christianis, quam Paganis apparuit. Nam duo scuta supra eamdem Ecclesiam sanguineo colore flammantia, et velut in prælio quibusdam motibus agitantia visa fuerunt. Quod signum Saxones tunc Pagani aspicientes, mox in fugam conversi sunt; ac in tantam, ut strictis gladiis mutuo se transfoderent, amentiam devenerunt. Item refert historia Francorum, quod dum Carolus Magnus, sub anno Domini 772. in

partes Saxoniæ cum exercitu perrexisset: et ad Hermensul perveniens, ibidem ad destruendum funditus fanum quoddam per duos vel per tres dies manere decrevisset, aqua exercitui propter magnam siccitatem in loco prædicto defecit: moxque Divina largiente Gratia, in quodam torrente, ita ut omni exercitui sufficerent, aquæ largissimæ sunt effusæ. In speculo historiali lib. 25. plura Miracula exercitibus Caroli Magni virtute Divina in partibus Hispaniæ facta leguntur.

Alia in honorem S. Caroli Magni, quem ejus in Imperio Successor Carolus V. imitari visus est, cum aliis Hispaniæ Regibus.

Muratorius in Annalibus Italiæ an. 1752. Romæ impressis ita loquitur de Carolo Magno an. 814. „ Nel di 28. di Gennaro rendè l' Anima al suo Creatore nell' anno 71. della sua età, pieno di vittorie e di gloria, pieno di meriti presso Dio, e presso gli uomini „ Cum quo elogio Muratorius correxit si quid minus recte ipse dixerat de aliquibus rebus Caroli Magni.

In continuatione Annalium Aragoniæ per D. Bartholomæum Leonardum de Argensola, Canonicum S. Metropolitanæ Ecclesiæ Cæsaraugustæ, qui inter alia commendat Religionem Regis Ferdinandi V. Catholici in reparatione Hospitii S. Jacobi Hispanorum de Urbe, nec minus Fidelissimi Regis Emmanuelis Lusitaniæ in extensione Fidei per Africam, et Asiam, qui cum inde accepisset generosum Elephantem, quem cum aliis pretiosis donis ad S. M. Leonem X. mittere volebat, et renuente animali ab Ulisipone se exportari, rogavit ipsum Rex dicens, *quod cum ad alium majorem Principem mitteret*, tunc animal, tamquam si intelligeret, permisit se ad navim conduci; loquendo postea de Carolo Quinto Imperatore, refertur ejus coronatio prima in Regem Romanorum celebrata Aquisgrani feria tertia, in festo gloriosæ S. Ursulæ an. 1520., ut constat ex litteris ab Ipso Carolo ad suos in Hispania Vice Reges, Aquisgrani datis 23. ejusdem mensis Octobris; et inter cæremonias cum quibus ibi receptus fertur Carolus, in die præcedenti ab illa Civitate, legitur: „ *Ad portam Urbis expectabant jam Illum Clerus et Religiones in procesione:* „ *quod videns Imperator, descendit ab equo, adora-* „ *vit Cruces, et Reliquias. Inter has solemniter por-* „ *tabatur pars Capitis Caroli Magni (pro Sancto* „ *culti). Lætatus est Cæsar cum videret talem Re-*

„ *liquiam , cui reverentiam præstitit* , „ Unde patet antiquissima possessio cultus publici Caroli Magni in illa Civitate , in qua jam a tempore Imperatorum Othonis Tertii , et Sancti Henrici (qui Ecclessiam Collegiatam ibi fundavit, multis Reliquiis ornatam) referebantur Caroli Magni varia miracula. (1)

Et Surius (cujus opus de Sanctis a S. Pio Quinto an. 1570. laudatur tanquam aptissimum ad refellenda hæreticorum maledicta in historias Sanctorum) *Apostolum Germaniæ Carolum Magnum appellat, cujus incompa-*

(1) *Hæc confirmantur a R. P. Vincentio Domenec , Ordinis Prædicatorum , in suo Opere de Sanctis Cathalauniæ (ubi cum honore etiam loquitur de Turpino , et Rotolando) præcipuè tractando de Officio Ecclesiastico S. Caroli Magni in Diæcesi Gerundensi statuto, et de sermone quatannis in S. Eeclesia Cathedrali Gerundæ (vulgo* Gerona) *pronuntiando circa recuperationem illius Civitatis a Sarracenis per Carolum Magnum cum adjutorio Dei , sicut nostro etiam tempore fit , et in ipso Libello quotannis Matri impresso circa præsentem statum Ecclesiæ particularis Hispaniæ , et universalis Ecclesia adnotatur de S. Ecclesia Cathedrali Gerundæ* , illam *restauratam fuisse a Carolo Magno anno* 786. *Officium autem Ecclesiasticum , quod ibi ante Carolum Quintum reeitabatur , modo prætermissum est , sicut alia prætermissa sunt in variis Ecclesiis , ex posterioribus dispositionibus* ad tollendam orandi varietatem , *ut in Bullis S. Pii V. et S. M. Gregorii XIII. exprimitur , et cum tale Officium non comprehenderetur in privilegio Ecclesiis Hispaniæ in illa reformatione concesso ad instantiam Regis Catholici Philippi Secundi pro Sanctis Hispaniæ , quia Carolus Magnus solummodo celebrabatur Gerundæ ob gratitudinem recuperatæ Civitatis a Mauris , sed non ob Patriam, seu Reliquias Caroli Magni in Hispania.*

rabilem (ait) (1) *in omni virtutum gloria præstantiam licet libellus de vita ejus conscriptus plenissime referat, nos tamen hic aliquid de eo vel breviter dicere ipsius in nos beneficii magnitudo suadet, quibus ut januam Fidei aperiret, ferrea quodammodo lingua prædicavit, qui cum toties victoria potitus, quoties in procinctu positus, multas sibi gentes, multa Regna subjecit: constat tamen eum gloriosissime etiam de diabolo triumphasse: cui tot animarum millia, prius sub ejus tyrannide captiva, in conversione nostræ gentis eripuit. A Christo illum hoc recipere præmium et confidimus et optamus, ut fruatur in Cœlis Apostolorum consortio, quorum functus est in terris officio.*

Quod quodammodo etiam Carolo V. et Successoribus ejus in Hispania applicari posset circa zelum reducendi Americam, et Asiam (vel potius Orbem) ad verum Dei lumen, quidquid in adversum detractores fabulentur, quibus solemne est, Christianis et Sanctis Principibus detrahere, et Ecclesiæ persecutores exaltare, ut insinuat Feller in Dictionario suo loquens de Carolo Magno, quorum maledicta non paucos inscienter præocuparunt, quiincaute malignas facetias inimicorum Fidei pro certis criterii sui regulis, sive discretionis criticæ norma receperunt, et decepti hæretica versutia (inter alios) Gryphiandri irrisoris, de Colossis Rulandinis in Saxia, de Caroli Magni rebus gestis, de Calixto II. et S.Antonino has recipiente a Turpino, disserentis; statuas Rolando (a Poetis ridicule diffamato) erectas pro mirabili ejus Christiana virtute in adjutorio Caroli Magni in Saxonia ad Christum convertenda, laudes ipsis a Calixto tributas, et alia similia justa et pia scripta, tanquam a critices rectitudine. abhorrentia, rejecerunt, et pene in opprobrium converterunt, et mirabilia opera Dei in oblivionem, et despectum abire passi sunt.

De Imperatore Carolo V. qui simul cum Imperio virtutes etiam Caroli Magni imitari curavit, videnda est Oratio funebris in ejus morte a S. Francisco Borgia ha-

(1) *Surius in vita S. Liborii Episcopi* 23. *Julii pag.* 344. *editionis Coloniensis an.* 1579. *tom.* 4.

bita. De celebri autem expeditione ejus pro expugnatione Tuneti, inter alia, legitur in Annalibus Aragoniæ (continuatis a Doctore Domino Didaco Joseph Dormer, Canonico ejusdem Ecclesiæ, et aliis magnis honoribus insignito): " quod inter Nobiles Aragoniæ comitabatur Imperatorem D. Joannes Fernandez de Heredia, Comes Fontium, quodque congregata Barchinone classe maritima, ascendit Imperator ad visitandam Dominam Nostram Montis Serrati, ibique confessus est, et communicavit die 28. Maji, et inde reversus est civitatem. Unde cum jam Navim Regiam conscendisset die 30. Maji 1535. jussit expediri privilegium Locumtenentis sui pro Aragonia in favorem Ducis *de Alburquerque*, qui pro tali munere obeundo juramentum præstitit 22. Augusti in templo Metropolitano Salvatoris Cæsaraugustæ in manibus D. Laurentii Fernandez de Heredia, Justitiæ Majoris Aragoniæ (Magistratus ita ibi appellati, summæ tun- auctoritatis), præsentibus ad actum novis Regni Deputatis, inter quos erat D. Michael de Heredia (cujus cognominis plures alii in iisdem Annalibus commendantur). Ibidem legitur fuisse cum Imperatore in expeditione e Nobilibus è Valentiæ Regno, inter alios, Dominus (nunc Sanctus canonizatus) Franciscus de Borgia, (1) Marchio de Lombai, et postea Dux *de Gaudia* (ac tandem, meritis suis id exigentibus, Generalis S. I.) Classis erat ex variis Nationibus, et inter hujus triremes duodecim erant Summi Pontificis in portu Ostiæ constructæ, in quarum Principe Sanctitas Sua celebraverat Missam, bene-

(1) *Divenuto il confidente* (*ait P. Croisset in Vita S. Francisci de Borgia* 10. *Octobris*) *di tutti i disegni dell'Imperatore, lo seguì nella guerra d' Africa . . . . e in varie occasioni si distinse colla sua saviezza, e col suo valore . . . . L'Imperador Carlo V. essendo morto, il P. Francesco fece l'Orazione funebre di quel Principe alla presenza di tutta la Corte, e tntti confessarono, che un si grande Imperadore era fortunato per aver meritato le lodi di un' Uomo si Santo, e di un Giudice si giusto del vero merito.*

dixit triremibus, et mare conjuravit. Inter triremes Genuenses duæ erant Honorati Grimaldi. In ea felici expugnatione, præter hostes occisos, plusquam octodecim millia Turcarum et Maurorum in servitutem redacti sunt: Rex *Mulei Hazen* appellatus restitutus fuit in Tuneti Regnum sub tributo". Imperator cum classe in Siciliam appulit, ubi accepit Imagines et Orationes Septem Angelorum, Panormi tunc in honore habitas a Vicario Generali Emi Archiepiscopi Thoma Belloroso, ad quorum cultum Confraternitas Imperatoria erecta erat is ut per Septem Angelorum patrocinium Regnum in pace et in bello feliciter Rex moderaretur, ut ex P. Octavio Cajetano extensius liquet, in Opere de SS. Siculis, de inventione Imaginis Septem Angelorum. Et tandem vectes Tuneti expugnati, Romam in triumphum transmissi ad S.Petrum, usque adhuc permanent in Vaticano simul cum catenis portus Asiæ Sataliæ, a classe Pontificia, sub S. M. Pio Quarto, (1) Oliverio Carafa Cardinali duce, vi etiam olim captæ. Talis erat exitus rerum quando Sacerdotium et Imperium ad Dei gloriam conveniebant, sicut postea etiam apud Echinadas Insulas patefactum est in victoria miraculosa de Turcis, per triremes S. Pii V., (2) Philippi II.

(1) *Inter alia in honorem Pii IV. Palatius ait:* " Immaculatam Couceptionem Virginis Mariæ *annuatim recolendam decrevit an.* 1476. *Hujus festi originem tribuit inde Helsino Prœsuli seu Abbati, qui gravi tempestate jactatus, Stellam Maris* Mariam *invocat: adest e Cœlo S.Nicolaus, naufrago injungens celebrationem diei festi Conceptionis Virginis, quo promisso, sedatur mare, promissio adimpletur. Hœc initia ampliora fecit S. Anselmus: amplissimis deinde Indulgentiis ornavit Sixtus IV. in octo dies continuos, quos miraculis etiam Cœlum comprobavit.*

(2) *S.Pius V. Officium Conceptionis de præcepto extendit Universæ Ecclesiæ: assignans illud Nativitatis ipsius Virginis, mutato Nativitatis nomine in Conceptionis. Et tandem Pius VII., Leo XII., et Gregorius XVI. feliciter regnans, tam per Se, quam*

Catholici Hispaniæ (1) Regis, et Reipublicæ Venetæ obtenta, singulari patrocinio B. Mariæ Virginis, pro quo S. Pius invocationem addidit in Litaniis: *Auxilium Christianorum*, sub cujus titulo Officium etiam cum Missa

per S. Congregationem Rituum multa Indulta concesserunt, pro invocatione addenda in Litaniis Lauretanis Regina, sine labe Concepta, *ac præsertim pro Præfatione in Missa Conceptionis* : Et te in Conceptione Immaculata *etc. multis Præsulibus, et Sacerdotibus gratulantibus, et in dies tam honorificas Dei, et Dei Matris laudes extendi postulantibus.*

(2) *De Catholico Rege Philippo Secundo videantur, inter alia, laudes in Operibus S. Theresiæ, qui etiam* Sauctum *ipsum appellat, (eo sensu, quæ juxta S. M. Urbani posteriora decreta talis appellatio accipienda est ante Ecclesiæ judicium), sine cujus Regis protectione apud Sedem Apostolicam, Opus magnum Reformationis Carmeli ex diaboli malignitate obrui videbatur.* (*Lib. Fundationum S. Theresiæ, cap.* 29. *num.* 15.) *Legatur etiam P. Eusebius Nieremberg e Societate Jesu. Philippi III. pietas cunctis patet, et expulsio Maurorum per ipsum e finibus Hispaniæ. Philippi IV. Catholicus zelus comprobatur ex ejus litteris frequentibus ad V. M. Mariam Jesu ab Agreda, et hujus responsionibus, et ex Legationibus suis ad Sedem Apostolicam pro augmentu cultus Immaculatæ Virginis, Conceptionis, pro quo Successores ejusdem semper sategerunt. Carolus II. in testamento Succesori injunxit continuationem talis Piæ Instantiæ usque ad obtinendam definitionem Apostolicam, simulque ut S. Theresia Patrona Hispaniæ post S. Jacobum declararetur; et ob utrumque laudatur a gravi Religioso Ordinis S. Dominici in sua Oratione funebri Romæ habita ad S. Jacobum Hispanorum. Philippus V. instantiam secutus est, laudante S. M. Clemente XII. : Carolus III. Hispaniæ Patronam Virginem in Immaculata Conceptione a S. M. Clemente XIII. impetravit. Etmulta alia dicenda essent.*

nostro tempore S. M. Pius Septimus instituit, ob singularia beneficia Dei in ultimis calamitatibus experta, quando iu suam Sedem, a qua per violentam pulsus erat, extra omnem expectationem mirabiliter restitutus est. „
O. S. C. S. R. E.

IMPRIMATUR

A. Franci Vic. Gen. et Episc. Suffr.

NIHIL OBSTAT

R. Lolli Vice-Legatus

VELITRIS
APUD ANTONIUM MUGNOZ
1838

CORRECTIO PRÆCIPUORUM ERRATORUM

Pag.	*Lin.*	*Errata*	*Corrige*
7	17 et 18	oposcolo	Opusculo
7	23	v. 5.	c. 15.
11	5 et 6	quod exhibitum	qui exhibitus
12	38	Post verbum *tempus* addatur :	Baillet id expresse affirmat
12	ultima	*Palatino*	*Palatius*
13	4	IV.	V.
13	27	Rhemansi	Rhemensi
15	3	caltus	cultus
15	18	appiobavit	approbavit
15	32	*Guafredi*	*Gaufredi*
16	30	cum	rum
16	31	rut	aut
16	32	aultu	cultu
16	34	coepit	cœpit
17	19	constant	constanter
17	19	cultum quam	cultum , quem
18	18	*Benedictino*	*Benedictinum*
18	19	*Januarii*	*Decembris*
18	19	*uter*	*inter*
18	23	*Vitiarum S.*	*Vitarum Sanctorum*
18	26	*Bousset*	*Bossuet*
19	7	caeperunt	cœperunt
19	9	interfeciuntur	interficiuntur
19	12	nrbem	urbem
19	30	*Deriderici*	*Desiderii*
19	33	*tanto (Pontifice*	*tanto Pontifice*
21		*Conscessit*	*Concessit.*

IN ADDITIONE

1	8	scriptum , a Justo	scriptum à Justo
1	ultima	urbe	urbem
2	nltima	m	dam
4	9	te	et
6	17	*Generis*	*Genesis*

Pag.	*Lin.*	*Errata*	*Corrige*
6	23	*seguentes*	*sequentes*
7	5	*diabolis*	*diaboli*
8	6	*due*	*die*
8	18	*concedisset*	*consedisset*
13	ultima	Instautiam	Instantiam
14	1	Venetis	Vènetiis
16	7	contenti	contento
16	25	Ecclesiarium	Ecclesiarum
24	21	*cum*	*eum*
25	14	*Rotolando*	*Rothlando*
25	16	*quatannis*	*quotannis*
25	20	*Matri*	*Matriti*
25	22	*Ecclesia*	*Ecclesiæ*
27	17	tun	tunc
27	24	*Gaudia*	*Gandia*
28	10	is	ibi,
28	33	*Cæjum*	*Cœlum*
29	13	*qui*	*quæ*
29	14	*quæ*	*quo*
29	26	*Virginis, Conce-*	*Virginis Concep-*